

Nec obstat, quod habitus sint aliquid *permanens*, gratia autem adjuvans juxta Concilia et Patres non sit auxilium permanens. Nam quamvis habitus supernaturales quoad se spectati sint complementum stabile, dans animæ simpliciter posse, h. e. facultatem et virtutem supernaturaliter operandi tunc, quando ipsa congrue excitata decernit supernaturaliter operari: tamen spectati quoad actualem influxum, et prout connotant speciale decretum ac concursum Dei in ordine supernaturali specialem, non sunt aliquid permanens, sed quid transiens dici possunt.

269. *Dico IV.* In homine habitibus supernaturalibus carente principium gratiæ adjuvantis est Deus ipse, vel Spiritus sanctus specialiter assistens, et defectum alterius principii intrinseci in genere causæ efficientis per se immediate supplens.

Prob. Hic modus juvandi potentiam naturalem ex se insufficientem imprimis est possibilis; ut patet ex dictis de visione beatifica et intuitiva Dei: deinde est necessarius; cum enim hic assignandum sit aliquod principium supernaturale physice activum; neque intrinsecum ullum reperitur, ad Deum recurrendum est: denique non est contra ordinariam Dei providentiam, sed eidem potius maxime consentaneus; quia ad Deum tanquam causam universalem et primam in quolibet ordine spectat supplere defectum causarum secundarum, si ipsis desit virtus intrinseca ad connaturaliter operandum, et maxime si nondum sunt capaces hujus virtutis, sed ad illam per operationes alias minus perfectas tendunt; ut in nostro casu contingit.

Nec dicas 1^o. Dei potentia non potest supplere defectum piæ illustrationis et inspirationis; ergo nec defectum habituum supernaturalium. 2^o. Ad providentiam Dei pertinet dare causis secundis virtutem intrinsecam, qua operentur; ergo.

Ad 1^{um}. R. *Disparitas* est: Cum gratia excitans formaliter consistat in cogitatione et affectione voluntatis vitali, in hac ratione seu genere causæ formalis suppleri a Deo nequit; quia vero gratia adjuvans principium præcise physice effectivum actus supernaturalis est, et hic intelligitur; Deus potest supplere hanc causalitatem physice effectivam habituum, utpote quæ illi conveniens, imo divinæ ejus omnipotentiae propria est.

Ad 2^{um}. R. Antecedens verissimum esse 1^o. in actionibus naturalibus, 2^o. etiam in supernaturalibus tunc quando homo in statu supernaturali perfecto, scilicet gratiæ justificantis, est et operatur; non item, quando est in statu imperfecto aut non justitiæ, aut etiam injustitiæ.

270. *Observa.* Adjutorium gratiæ adjuvantis non est *tota ratio* agendi; sed voluntas per illud elevata etiam cum illo concurrat tanquam concausa ad actus salutare liberos.

Patet ex *SCRIPT.* 1. ad Cor. c. 13. v. 10. *Abundantius*, inquit, *omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Sed si Paulus ipse non esset operatus cum gratia adjuvante, dicere nequivisset, non ego, scilicet solus, nec gratia sola, sed gratia mecum.

Ex *TRID.* Sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti...*

sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: anathema sit. Hoc ipso vero non physicum duntaxat, sed et liberum voluntatis influxum stabiliri, satis intelligitur ex Sectariorum sensu alibi declarato.

Ex S. AUG. qui serm. 13. de verb. Apost. (al. 156. c. 11. n. 11.) jam aliquoties cit. sic ait: *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo et agis, et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris: Spiritus enim Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis*, etc. Videlicet actui nostro salutari non minus essentialis est esse entitative vitalem ac liberum, quam esse entitative supernaturalem; ergo sicut entitativam supernaturalitatem non potest accipere proprie ab anima, quamvis congrue excitata, sed a gratiâ eam adjuvante; sic entitativam etiam vitalitatem et libertatem non potest accipere a gratiâ adjuvante, quæ non est principium vitale, sed a potentia vitali animæ per gratiam elevata, illiusque libera tendentia.

ARTICULUS IV.

QUODNAM SIT DISCRIMEN INTER GRATIAM NATURÆ INTEGRÆ ET NATURÆ LAPSE?

271. *Dico I.* Differentia utriusque gratiæ præcipue nititur doctrina S. AUG., quam proposuit libro de Correctione et gratia.

Cum enim S. Doctor ante exarationem hujus libri defendisset, liberum arbitrium nec destrui prædicatione gratiæ, nec e contrario gratiam prædicatione liberi arbitrii, quamvis inculcaret, quidquid per gratiam et liberum arbitrium fieret, id non homini, sed Deo simpliciter adscribendum, juxta illud: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*; Monachus quidam Adrumetinus novam difficultatem movit asseruitque, ex prædicatione talis gratiæ, cujus dono et bona opera, et perseverantiam accipimus, sequi, quod nemo corripitur debeat, si mandata non observet; sed orandum esset duntaxat, ut, quod faciendum Deus præcipit, id homini, ut faciat, divino munere largiatur.

Hanc difficultatem ut solveret, scripsit AUGUSTINUS memoratum librum, cujus scopus est ostendere, et Deum per gratiam nobis donare opera bona et perseverantiam, et tamen recte corripitur eos, qui nec bene operantur, nec perseverant; atque hinc et fidem de gratiæ dono, et orationem et correptionem retinenda esse tanquam amica, quæ Monachus ille repugnare invicem arbitrabatur. Porro in hujus argumenti pertractatione multa tum de gratiæ auxilio, tum de dono perseverantiæ comparate jam ad naturam integram, jam ad naturam lapsam profert, unde discrimen inter utriusque naturæ gratias statuatur. Præcipuas in hanc rem propositiones ex libri hujus c. 11. et 12. excerptas subjicimus.

Propositio I. Gratia adjutorium etiam naturæ integræ necessarium erat. Sic enim S. AUG. c. 11. n. 31. *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et post n. 32.: *Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet.*

Conf. Ex constanti S. Doctoris doctrina de necessitate gratiæ, pro qua

sufficiat textus ex L. de Nat. et Gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Propositio II. Gratia naturæ integræ erat alia, ac naturæ lapsæ. Sic Aug. c. 41. n. 29. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem.... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti (sancti in hac vita) cum dicunt etc.*

Propositio III. Gratia naturæ lapsæ est potentior et major, quam illa integræ. Sic S. Aug. c. 41. n. 30. *Proinde etsi non interim letiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti.* Item n. 31. : *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam.... Nec illa quidem parva erat.... Hæc autem tanto major est etc.*

Propositio IV. Gratia naturæ integræ præstabat potentiam faciendi bonum et perseverandi: illa autem naturæ lapsæ etiam ipsum velle et perseverare.

Sic Aug. c. 41. n. 31. *Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat, etc.* Item n. 32. *Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus; verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque.... acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset.*

Propositio V. Gratia in natura integræ erat penes et per liberum arbitrium: in lapsa autem per donum gratiæ.

Sic Aug. c. 41. n. 31. *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.*

Propositio VI. Gratia pro utraque natura notio et officium intelligenda sunt ex duplici adjutorio, sine quo non, et quo; de quibus S. Aug. c. 42. n. 34. ita scribit: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit; et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus.... Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Atque ex his propositionibus satis apparet, sermonem hic esse de duplici gratia, actionis et perseverantiæ; imo ad hanc ibidem omnia referri,*

272. *Dico II.* Ex Hæreticorum erroribus et Theologorum opinionibus variæ sententiarum classes circa discrimen gratiæ pro utraque natura emergunt, quarum præcipuas hic recensemus.

1^a. *Classis* est eorum, qui desumunt discrimen ab *entitate* gratiæ. Juxta hos Adamo ad bene agendum et perseverandum nulla alia opus erat gratia, quam habituali; et hinc in statu naturæ integræ nulla præveniens gratia nequidem illustrationis, seu pro intellectu, necessaria fuit.

2^a. Est eorum, qui discrimen repetunt a *viribus* gratiæ. Ad horum numerum pertinent 1^o. *Lutherus* et *Calvinus*, juxta quos gratia sanitatis erat talis, cui voluntas innocens et sana posset assentiri vel resistere: medicinalis autem erat ejusmodi, quæ infirmam hominis lapsi voluntatem necessitet; ut ex L. de serv. arb. et L. 2. Instit. c. 5. liquet. 2^o. *Jansenius* cum plerisque sequacibus, qui L. de Gr. primi hom. c. 44. alibique adjutorium *sine quo non* dicit esse quæcumque gratiam etiam voluntatis, cui homo ex indifferentia arbitrii posset assentire vel dissentire; unde colligitur adjutorium *quo* esse gratiam, cui voluntas non potest dissentire potentia saltem relativa. Præterea L. 2. de Gr. Chr. c. 1. 4. 17. et alibi sæpius docet gratiam libero arbitrio permissam, seu adjutorium *sine quo non*, datam fuisse Adamo innocenti et angelis; nunc autem homini lapsa ita necessarium esse adjutorium *quo*, ut sine illo nullum bonum velle possit et operari.

3^a. Est eorum, qui discrimen accersunt a *necessitate gratiæ efficaci*. Hi enim asserta gratia tum intellectus, tum voluntatis utriusque naturæ necessaria, statuunt præter gratiam sufficientem in natura integræ non fuisse necessitatem gratiæ efficaci, quam tamen pro statu naturæ lapsæ assignant.

4^a. Est eorum, qui *prædeterminationem physicam* pro utroque statu requirunt ex Dei in creaturas dominio et causæ primæ ratione. Inter hos alii discrimen in sola gratia sufficiente collocant, quam in statu innocentiae sola illustratione, in statu præsentis illustratione simul et affectione perfectam existimant: alii a prædeterminatione derivant, quam nunc magis virtuosam, ac tunc fuerat, esse censent.

5^a. Est eorum, qui gratiam *extrinsece* duntaxat *efficacem* vel congruam admittunt. Horum plerique in hoc conveniunt: ad primum actum bonum, quo *Angeli* et *Adam* dicuntur se disposuisse ad gratiam sanctificantem, necessariam fuisse gratiam intellectus una et voluntatis, sicut eadem gratia requiritur nunc pro nobis ad actus salutares: verum ubi natura innocens jam evecta erat ad esse supernaturale per gratiam habitualem, ad reliquos actus salutares non indiguisset *Adamum* et *Angelos* gratia præveniente alia, quam gratia intellectus seu illustratione, eaque sive efficaci sive inefficaci; adeoque discrimen in eo versari, quod homo in natura integræ potuerit recte operari præcedente sola mentis illustratione: in natura autem lapsa non possit, nisi accedente etiam gratia voluntatem præveniente et movente.